

memoratum *Canonicis* æquiparet, nuperrimè accusavit, *Autor* der aller-unterthänigsten *Adresse* p. 761, alterum eandem ob causam peculiari *Diss.*, cui tit: *quod liber sapientie & Ecclesiasticus pro Canonicis non sint habendi*, refutavit pl. Rev. Dn. D. *Wersdorff*. Interim, quod genuinis Lutheranis professorum *Cbiliastarum* ac Novatorum assertiones objici non possint, facile constat. Sed latiore Lutheranorum defensionem alii, D. J., reservo occasione.

*Quest. 2. Ex quanam intentione divisio in Legem, Prophetas & Hagiographa a Judæis adhibeatur, & anne illa hac ratione approbari queat?* Resp. Antiquam illam *Doctorem suorum* divisionem, quam non tantum *Lightfootus*, ut paulo ante vidimus, ad Christi tempora refert, sed Judæorum quoque nonnulli *Esra* tribuere haud verentur, tanti æstimat cum sociis suis *Abarbenel*, cui, sicut magnum ingenium, ita & suorum in falsitate confirmationem, merito adscribunt *Acta Erud. Lips.* in recensione *Commentarii illius in Propb. post*; ut divisionem Christianorum, cujus fecerat mentionem, magno supercilio præ illa contemnat. Verba ejus, quæ reperiuntur in *Pref. Comm. in Jos.*, mentemq; *Judæorum* explicant, sunt sequentia: זל דברי חכמינו זל צדקו דברי חכמינו זל כמה שהגדילו מדרגת השפע אשר נעשו ספרי הקדש לשלש מדרגות ומצד חלקו ספרי הקדש לשלשה חלקים תורה נביאים וכתובים *Melior est Sapientum nostrorum p. m. sententia, qui tres gradus influentia, qua libri Sacri sunt perscripti, agnoverunt, & ratione illorum diviserunt Libros sacros in tres partes, Legem Prophetas & Hagiographa.* In illis verbis & divisio continetur, & ratio simul divisionis, digna, quam *Judæus* non *Esra* aut *Prophetis*, sed suis *Sapientibus* adscribat. Existimat nempe *Rabbi* ille vanâ scientia inflatus, quod *Scriptis Mosaicis* primus locus sit assignandus ob eminentiorem influxus modum, quem *Deus* in scriptionem illorum habuerit, quam librorum prophetorum, sicut & *Prophetarum* notio præstantiorem involvat influxum, quam *Hagiographo-*